

De mulierum fluore albo : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Car. Eduard. Guil. Rudolph.

Contributors

Rudolph, Karl Eduard Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Augustii Petschii, 1831.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n6rebk8m>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>





DE
MULIERUM FLUORE ALBO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ERATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XII. M. MARTII A. MDCCCXXXI.

H. L. Q. S.

PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAR. EDUARD. GUIL. RUDOLPH,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

G. NIELSON, MED. UTR. DR.
F. REISHAUS, MED. UTR. CAND.
C. BANGEMANN, MED. UTR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

DE
MULIERUM FLUORE ALBO.

Quam viam omnem medendi qui intelligit, cognoscit ac
sequitur, donec fine potiatur, solus is est, qui medendi
scientiam et artem possidet.

GALEN., meth. med. lib. 6. c. I.

VIRO

CLARISSIMO, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,

F. A. SCHULZ,

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN MEDICORUM,
EXERCITUS BORUSSORUM, ORDINE PRAEFECTO, INSTITUTI
MEDICO-CHIRURGICI FRIDERICO-GUILELMIANI DIRECTORI
SECUNDO, ORDINIS REGII DE CRUCE FERREA
EQUILI ETC. ETC.**

H A S

QUAESCUNQUE PAGELLAS

SUMMA CUM REVERENTIA

OFFERT

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Inter morbos, organismum humanum infestantes, fluor albus sexui sequiori, ut alii quidam, proprius est, frequentissime quidem obvius ac per totum terrarum orbem late vagans. Comparisonem instituentes inter singulares virorum et mulierum morbos, haemorrhoides virorum flori albo feminarum opponendas et utriusque morbi rationem, si laborantium numerum respicias, aequabilem censebimus. Causa, quod frequentior leucorrhoea appareat, praecipue in organismi muliebris propria indole cernitur, quum potissima ejus actio receptivitatem ac productionem respiciat, minori incitabilitate, majori sensibilitate nixa.

Animo perpendas velim, mulierem corpore maturam quovis tempore concipiendi facultate praeditam esse, quamobrem dicere possis: totam ejus existentiam continuum procreationis actum esse, cujus productum catameniis in lucem proferatur, donec orta conceptione impendatur conformando embryoni. Proinde functiones systematis uterini, reliquis organismi muliebris perquam praecellentes, saepe aliis morbis in sym-

pathiam vocari videmus, ita ut morbi diuturniores non raro complicati appareant, eam quidem ob causam, quod cum functionum sexualium exercitio intimum ineunt commercium. Non minus proprietatem corporis muliebris maximum exserere momentum scimus in omnia morbi stadia: ad genesin enim morborum opportuna est, quod organismus muliebris minori reactione praeditus, resistantiam sufficientem rebus externis praestare haud valet. Proinde etiam in morborum decursu major viget symptomatum extensitas. Denique, si exitum morborum muliebrium respicimus, saepenumero crisis tantum imperfectis eos judicari videmus; quum vires organicae functionibus magis consumantur sexualibus.

MORBI DEFINITIO.

Periodicus aut continuus e vagina muliebri fluxus muci magis minusve spissi, plerumque blandi, albi, interdum paulo purulenti vel sanguinei, acris, foetidi, qui citra syphilidem inductus, magis minusve consumit organismum, fluor albus, s. leucorrhoea dicitur.

*Trnka de Krzowitz*¹⁾ fluorem, ait, album esse humoris serosi e muliebribus fluxum. *Raulin*²⁾ fluor albus, inquit, est exsudatio, vel exstillatio, aut effusio aquosi, serosi, lymphatici, mucosi, biliosi, chylosi vel lactei e vagina humoris, varii coloris et odoris, aut multijugium foetoris graduum, secundum causarum, e quibus oritur, diversitatem. *Heinsse*³⁾: in universum, ait, quemque fluxum, qui praeter catamenia per easdem vias in sexu sequiori oriat, nomine floris albi designari.

VARIAE MORBI DENOMINATIONES.

Varia huic morbo tribuerunt nomina, quae modo indolem, modo causas, modo prognosin et alia respiciunt: *Galeno*⁴⁾ uteri rheuma dicitur, *G. Ballonio*⁵⁾ catarrhus, *L. a Fonte*⁶⁾ destillatio uteri; aliis coryzae uteri nomen placuit. Porro: profluvium uteri s. mulieb, quo nomine fluxus quoque sanguineus uteri, vel infectione syphilitica provocatus, intelligi potest. Menstrua alba, quo

¹⁾ Histor. Leucorrhoeae, Vindob. 1781. p. 1. ²⁾ Abhandl. v. d. weißen Flüsse d. Frauen. Aus d. Franz. bearb. von Niedereker. Nürnberg. 1793. p. 1. ³⁾ Kurzer Unterricht üb. d. weiß. Fluß u. s. w. d. Weib. Chemnitz, 1803. §. 1. ⁴⁾ De symptom. caus. L. 3. C. 4. ⁵⁾ Cons. medic. L. 1. Cons. 56. sub fin. ⁶⁾ Cons. med. 117.

nomine magis periodicas morbi accessiones notari voluerunt; haec autem denominatio primo tantum stadio respondet, quum profluvium, morbo magis inveterato, nullum servet typum, id continuum exstet. Gonorrhoeae vox ex toto inepta est et seminis humani fluorem significat, a γονη semen, et ῥέω fluo. Medorrhoea, a μηδεα, quod medium tenet, et ῥέω; hoc nomine plerumque morbus syphilide provocatus et profluvio alicujus humoris junctus intelligitur, magis virorum genitalibus proprius. Aptissimae fere denominationes sunt: fluor albus insons et leucorrhoea benigna, a λευκος albus, et ῥέω fluo, quae cum vernacula congruunt voce minusque facile erroribus ansam praebent, licet non omnibus respondeant casibus, quoniam hoc malum persaepe labem multo graviores inducit magisque complicatum apparet, quam concubitu impuro illata blennorrhoea.

SEDES MORBI ET DIVISIO.

De morbi sede in universum medici inter se dissentiunt, quum alii in vagina sola, alii in vagina et utero, alii denique, ut *Richter*¹⁾, modo in vagina, modo in utero ejus focum ponant. Attamen nihil dubii recipit, cum membrana vaginae mucosa eandem uteri membranam simul esse correptam et vice versa; certe graviores hujus morbi gradus suspicionem movent, hiatus quoque oris uteri ac illa duranti per longum temporis spatium malo, quod associata plerumque sterilitas probare videtur. Jam *Morgagni*²⁾ haec professus est eademque *Hippocrates*³⁾ judicasse videtur, dicens: quae frigidos ac densos uteros habeant, non concipere; et quae prae-humidos habeant uteros, non concipere; extingui enim ipsis genituram; nec non ille *senex*⁴⁾ nos docet mulierum illarum propensionem ad abortum, referens: quae vero mediocriter corpus habentes abortiant bimestres et

¹⁾ Speciell. Therapie, 2r Bnd. p. 269. ²⁾ De sedib. et caus. morb. Epist. 47. No. 11. ³⁾ Sect. 5. Aphoris. 62. ⁴⁾ Ibid. Aphoris. 45.

trimestres, sine causa manifesta, his uteri acetabula muco plena esse, et non posse continere foetum prae graviditate, sed arumpi.

De morbo dividendo maxima viget diversitas. Nonnulli v. c. *Haase*¹⁾ fluorem album dividunt in acutum et chronicum; per illum intelligunt blennorrhoeam contagio syphilitico inductam genitalium muliebrium, per hunc effluxum humoris alicujus mucosi a causis blennorrhoeas plerumque irritantibus; acutum vocant fluorem album specificum, s. malignum, vel gonorrhoeam sexus sequioris; chronicum fluorem album insontem, seu leucorrhoeam simplicem sive benignam. Haec tamen nomina haud satis apte sunt delecta, quoniam fluor albus insons saepe numero multo pertinacior et curatu difficilior apparet, quam perperam sic dicta gonorrhoea sexus sequioris, quod etiam *Haase*²⁾ et *Richter*³⁾ concedunt. *Richter*⁴⁾, quia morbi sedem modo in vagina, modo in utero collocavit, fluorem album vaginae et uteri distinxit. *Mende*⁵⁾, qui humorem vel a membrana mucosa, partes genitales investienti, imo ipsis cryptis muciparis, vel a partibus, statu normali tantum sanguinis menstrualis secretioni inservientibus, secerni putat, distribuit in eum, qui sedem habeat in uteri atque vaginae membrana mucosa ejusque cryptis muciferis, et in eum, qui functione morbosa partium uteri sanguinem menstrualement reddentium nitatur, quorum quidem hunc haemablennorrhoeam vocat, quia secretum saepe sanguine tinctum appareat. Priorem externarum causarum ratione triplicem statuit, nimirum: violentiis mechanicis v. g. corporibus alienis, manustupratione etc. provocatum; tunc chemicis stimulis inductum, denique syphilide illatum. Alterum distinguit in duplicem, prout vel generandi facultate nimis excitata, vel nimis debili oriatur. *Trnka de Krzowitz*⁶⁾ fluorem album universim redigit in duo ge-

¹⁾ Ueb. d. Erkennt. u. Cur. d. chron. Krankht. 3r Bd. p. 113.

²⁾ Ibid. p. 114. ³⁾ l. c. p. 269. ⁴⁾ Ibidem. ⁵⁾ Die Krankht. d. Weiber etc. 1r Thl. p. 194. ⁶⁾ l. c. §. 2.

nera, quorum alterum leucorrhoea vera est huiusque species: uterina et vaginalis, recens et inveterata, continua et intermittens, simplex et complicata; alterum genus est leucorrhoea notha, cujus benignam et malignam, si cum syphilide, scorbuto, carcinomate similibusque sit conjuncta, proposuit. Leucorrhoeam veram, ait, originem ab aliqua vasorum menstrualium labe, notham vero ab aliis vasis ducere.

MORBI SYMPTOMATA.

Symptomata leucorrhoeae pedetentim augentur gravitasque eodem crescit modo, nisi ars salutaris auxilium ferat, vel ipsa natura medicatrix exitum prosperum moliatur. Proinde morbus apte in tria redigi potest stadia, quorum individua natura in omnibus fere blennorrhoeis cernitur et partim prognosin, partim curationem dirimit.

Stadium primum s. initii, quod quidem rarissime a medico observatur, fluxum tantum magis minusve spissi, amyli cocti instar diluti, vel teste *Richter*¹⁾ gummi (soluti) similis, subalbi muci e vagina muliebri offert; qui longius breviusve tempus ante catameniorum introitum, vel, quod crebrius est, nonnullis diebus post finitam menstruationem, apparet, nisi vel puellis juvenicis, in vetulis tempore decrepitudinis causis peculiaribus provocetur, vel a puerperio pendeat. Fluor itaque initio periodicus accedit et evanescit, sub catameniorum periodum autem citior atque uberior venit, ita ut perpetuo perduret. Leucorrhoea vero in juvenibus vel vetulis apparens, violentiis variis inducta, ab humectatione vaginae et uteri vix observabili, quae est status normalis, in blennorrhoeam transformata, plerumque sine intervallis continet; reliquae corporis functiones non turbatae sunt, saltem perparum, facies plerumque non mutata videtur.

Stadium secundum, s. morbi confirmati, incipit, si fluxus copiosior, symptomata turbati repro-

¹⁾ l. c. p. 270.

ductivi systematis et irritabilitatis labefactae ingrediuntur. Ciborum appetitus labitur, digestio turbatur, lingua muco albido vel sordido obtegitur; exstant praeterea sapor mucosus, ructus acidi, inflatio abdominis atque intumescencia, dolores intercurrentes lumborum, dorsi et abdominis, sedes irregulares, ut plurimum segnes, urina cum sedimento mucoso. Sensim accedunt horrores, lassitudo universa artuumque gravitas et dedolatio; pulsus subsidunt, debiles et tardi evadunt, extremitates frigescunt, facies in dies magis pallet, colorem luridum, chlorosin ostendit, oculi languent, lacrymant et coeruleis, lividis circumdantur annulis; aegra sensim sensimque macrescit, nonnunquam facies tumescit ac manus. Excretum inter haec album, lacti simile est, unde morbus fluoris albi nomen obtinuit, attamen coloris ac consistentiae respectu variat; copia ejus augetur, at secundum individuum constitutionem varia videtur: largius profluvium humoris redditur torpido, phlegmatico corpore, longiore morbi mora, organicis complicationibus genitalium, debilitante vitae ratione et calidiore regimine; diei tempus etiam quantitatem eatenus mutat, quatenus effluvium luce est uberius, quam noctu¹⁾. *Raulin*²⁾ adeo victum in excretorum colorem magnam vim exerere dicit, idemque casum enarravit, quo femina, vehementi leucorrhoea laborans, quovis tempore matutino soccolatam cum lacte biberit horaque elapsa profluvium e vagina, soccolatae colorem habens, passa sit, ita ut post tres aut quatuor horas color rediret solitus. *Richter*³⁾ contendit: secretionem ac humoris excretionem in leucorrhoea uterina tantum per mensium periodos intermittere, in gravioribus autem gradibus continere; leucorrhoeam vero vaginalem semper esse continuam, nunquam ex toto intermittentem, qua de causa profluvium appareat sanguineum, et cum doloribus vaginae, junctum sit; leucorrhoeam uterinam cum vehementibus uteri et abdominis affectionibus, nunquam cum doloribus vaginae esse consociatam; quibus signis utramque distingui et cognosci asserit.

¹⁾ *Haase* l. c. p. 122. ²⁾ l. c. p. 12. ³⁾ l. c. p. 269 et 272.

In stadio tertio s. morbi conclamati, quod quidem rarius accedit, non solum vitia systematis reproductivi sunt luculentissima, sed etiam vestigia nutritionis labefactae, ita ut phaenomena consumptionis corporis perspicuae prodeant. Excreta omnino tenuia evadunt, ichorosa; ubi tamen complicatio cum morbis organicis partium genitalium locum habet, vel mucus per longum temporis spatium retinebatur et accumulabatur ac mundities necessaria negligebatur: saepe caseosa, putrida, viridiuscula, ut plurimum foetida, rancidaque inveniuntur, imo acria et corrosiva, ut labia et femorum latera interna inflamment, excoerient ac dolores afferant. Ulcerationes illarum partium igitur nascuntur et incitamento forsitan cupiditatem coeundi sollicitant. Quantitas secreti humoris variat, plerumque supra dictis momentis consentanea, interdum exigua est, in quibusdam casibus autem per nychthemera nonnullae librae excernuntur. Partium genitalium relaxatio insignis est, os uteri maximam partem est apertum et demissum, propensum igitur ad prolapsum, vel jam prolapsus uteri aut vaginae adsunt; catamenia irregularia apparent tam tempore, quam modo, persaepe parciora sunt, vel deficiunt ex toto, aut copiosiora in uteri haemorrhagiam abeunt; aegrae haud concipiunt, vel abortiunt. Symptomata graviter correptorum systematum luculentissime prodeunt, ut dolores capitis, dorsi, lumborum, artuum inferiorum, uteri, hypochondriorum atque regionis hypogastricae tensiones; spasmi abdominales, dyspepsia cum anorexia, ructibus, nausea, vomitu sitique majore: porro anxietas praecordiorum, nonnunquam palpitatio cordis, dyspnoea, praesertim post motus. Symptomata systematis reproductivi valde affecti sunt: facies tumida cum colore lurido lividisque annulis circa languidos atque collapsos oculos, dentes, gingivae linguaeque muco viscido, sordido obsita; alvus generatim obstructa, rarius fusa, urina turbida, vel testante *Coo*¹⁾ qualis asini, interdum retinetur, v. c. spasmis, mingendo ardorem facit ac nonnunquam ostendit sedimentum purulentum. Va-

¹⁾ De natura mulieb. T. I. p. 567.

gina tumescit, inflammatur, pulsus sunt parvi, inanes, molles. Longiore morbi mora denique magna inducitur corporis universi macies, febris lenta, modo characterem lentae nervosae, modo lentae pituitosae magis prae se ferens¹⁾, cum tussi modo sicca, spastica, modo humida, sudoribus colliquativis, oedematibus extremitatum, hydrope anasarca, profluviiis sanguinis paralyticis ex utero; quo malorum agmine miserae ad sepulcra rapiuntur.

Saepe numero hic morbus cum aliis uteri topicis, organicis est complicatus, quibus leucorrhoea tanquam morbus consecutivus originem debet, vel vice versa eos excitat; hujusmodi sunt ulcera uteri, prolapsus jam dictus, scirrhus et carcinoma uteri, polypus uteri, steatomata et aliae pseudorganisationes. Exploratio secundum artem instituta, quae, ut *Astruc*²⁾ merito annotavit, nunquam praetermittenda est; symptomata inflammationis ac suppurationis, illorum malorum nonnullis praecedentia; effluvium magis minusve decoloris, maxime foetidi liquoris; dolores locales, pungentes vel perforantes, aut lancinantes, conjuncti cum oneris sensu, tanquam deprimatur uterus, etc. diagnosin in aprico collocant.

DIAGNOSIS.

Plures sunt morbi partium genitalium muliebrum, qui fluore cum albo similitudinem eo referunt, quod in illis etiam profluvium spissiusculi, mucoplus minusve analogi, humoris e vagina vel utero locum habet; non raro cum leucorrhoea sunt consociati, interdum autem soli inveniuntur, recte ergo distinguendi atque cognoscendi sunt, ne errores ac injuriae curatione adducantur. Illos ad morbos pertinent: medorrhoea, abscessus uteri, polypus, scirrhus et carcinoma uteri.

Leucorrhoea persaepe difficulter a medorrhoea dignoscitur, praesertim si haec jam dudum perstitit, vel in illa secretum, neglectae munditiei aut aliarum causarum sequela, indolem quandam corrosivam adeptum est, ita ut partes conterminas stimu-

¹⁾ *Haase* l. c. p. 123. ²⁾ *Tract. de morb. mul. L. I. C. 10. §. 2.*

let inflammationemque producat. Attamen penitior atque recta phaenomenorum morbi consideratio, morbi decursus et causae praegressae, si respiciuntur, fere medicum a justo tramite deflectere haud facile patiuntur. Fluor albus insons illa blennorrhoea judicari poterit, quae in feminis ad menstruationem pro-
 vectis initio tantum periodica, aliquot dies ante mensium introitum, vel confestim post catamenia finita, apparet; sub proximam mensium periodum revertitur, sensim sensimque mora et vehementia increscit, denique profluvium perpetuum exhibet; cujus porro initium, saltem fluoris regularis, nullis cum symptomatibus inflammatoriis, v. c. tumore ac doloribus genitalium, ardore urina excitato et aliis, conjunctum est; excretum ipsum mitem, magis albam habet indolem, quocum symptomata universae musculorum debilitatis, vel topicae systematis genitalis atoniae, languor, dedolatio, segnities et artuum gravitas, pallor faciei, macies, varia digestionis vitia, obtusi et tendentes abdominis, lumborum, dorsi dolores, status hystericus, chlorosis et alia sunt connexa. Denique blennorrhoea, quae causis localibus genitalia debilitantibus, infra seorsim memorandis, originem debet. In medorrhoea sexus sequioris, s. leucorrhoea ab infectione non minus quidem animadvertimus tria stadia, sed breviora, tertio excepto, in quibus vis vitalis multo minus infracta apparet, quam in leucorrhoea benigna. Illius sola causa cernitur in contagio syphilitico, per coitum illato, quod nonnullos post infectionem dies, phaenomena incitabilitatis adauctae atque inflammationis genitalium localis excitat. Sensibilitas eorum, potissimum in stadio secundo crescit: intumescunt enim, tactus, ambulatio, concubitus afferunt dolores; effluvium tenuis, viridiusculi, acris et corrosivi humoris nascitur, quod continuo ad morbi sanationem perfectam perseverat et vel nimia inflammationis vi, vel suppressione intercipi potest, quo facto interdum inflammatio partium finitimarum timenda est; at leucorrhoea benigna haud raro uteri vel vaginae prolapsus inducitur.

Effluxus uteri abscessu provocatus, humoris magis purulenti et magis minusve sanguinei, icho-

rosi, foetidi, cum leucorrhoea benigna haud facile confunditur, si partim praegressa metritidis symptomata, illiusque transitum in suppurationem, partim hujus signa atque febris phthisicae phaenomena diligentius pensitamus.

Polypo uteri inducta blennorrhoea: sensu gravitatis continuae, tanquam detrahatur uterus, doloribus in pubis regione obtusis, sensu continuo molis seu glomeruli in vagina, irregularibus plerumque jam antea catameniis, denique exploratione dignoscitur. Pro diagnostico polypi uteri signo *Mende*¹⁾ illud habet, quod, si consueta mensium mora tres vel quinque vel plures dies exresserit, praesente polypo, adhuc nonnullae sequantur guttae.

Scirrhus ac carcinoma uteri saepissime profluvium alicujus humoris producant, at haec mala sagaciori et peritiori observatori jam vehementissimis doloribus uteri specificis, saepe per totam pelvim diffusis, continuo effluvio ichorosi, foetidi atque decoloris humoris, inprimis exploratione, qua portio uteri vaginalis et os tincae tumefacta, indurata, valde sensilia ac dolentia inveniuntur, cognosci solent.

DECURSUS ET EXITUS.

Quod moram attinet, leucorrhoea ad pertinacissimos ac diuturnissimos referri potest morbos, attamen ejus cursus non semper est idem, sed praecipue ad constitutionem, aetatem, causas atque complicationes conformatur. Ubi igitur mulier prosperae ac robustae constitutionis, valida et bene nutrita, phlegmatici habitus atque scrophulosi expers, juvenis, aut saltem a decrepitudine longius abest; si causa occasionalis fuit mechanica, vel facile removetur et complicationes tolluntur, per hebdomades vel menses tantum persistit leucorrhoea. At vero, si fluor albus feminas aetate proveciores, cachecticas, debilitatas, torpidas, laxo, phlegmatico habitu ac constitutione ad blennorrhoeas opportuna praeditas adgreditur, si jam est inveterata, si causae occasionales cernuntur in atonia universali, si graviores adsunt

¹⁾ l. c. T. 2. p. 165.

complicationes, ut scirrhus, carcinoma etc.; si denique domicilium, negotia, victus, regimen et alia ad curationem pertinentia, haud talia sunt, qualia curationis consilio atque restituendae valetudini secundae respondeant: non tantum per annos, sed per totum vitae spatium protrahitur.

Praeter leucorrhoeae exitum in sanitatem, vel per sequelas in mortem, peculiaris fere non existat; sed vices saepe recipit morborum organicorum, vel secretionum habitualium ut *Raulin*¹⁾ contendit: v. c. haemorrhoidum tam sanguinearum quam mucosarum, organicorum uteri vitiorum, hepatis ac pulmonum morborum, menstruationis sub decrepitudine; quam ob rem hoc in casu haemablennorrhoea, sive catamenia decolorata, vocabatur. Quare, si subito supprimitur leucorrhoea, affectiones illorum organorum vehementes in lucem proferuntur. Hac ratione medici veteriores fluorem album: functionem derivantem, conamen naturae medicatricis consueverunt. *Haase*²⁾ quidem metastases negat, *Raulin*³⁾ tamen plura appositum malignarum metastasium exempla. Puellis junioribus fluorem album non raro prohibet mensium introitus, quoniam uteri irritabilitas excitatur eoque modo secretioni modum excedenti terminus constituitur. Ubi autem exitus in valetudinem bonam haud obtinetur, morbi uteri organici et multifaria systematis reproductivi mala emergunt exitumque afferunt lethalem.

AETIOLOGIA.

Nunquam non in partibus mulierum genitalibus secretio alicujus humoris locum habet, ac, dum systema vasculosum harmoniam alat idoneam, nunquam nimium secernitur; sin vero functionum turbatio, prostratio irritabilitatis ejusque defectus oriuntur, quibus incitabilitas plerumque depressa apparet, relaxatio atque debilitas vasorum ad instar paralysis, ingrediuntur nullamque dubitationem recipere videtur, causam leucorrhoeae proximam tali statu morbo, atonia, constitui.

Non-

¹⁾ l. c. p. 44 et 45. ²⁾ l. c. T. 3. p. 125. ³⁾ l. c. C. 10.

Nonnulli medici, ut *Reil*¹⁾, *Henke*²⁾, *Richter*³⁾ et alii, perperam characterem leucorrhoeae hypersthenicum vindicant; si enim plures blennorrhoeae, v. g. catarrhus viarum aëriferarum, medorrhoea ab infectione et alia, saepissime a stadio inflammatorio ordiuntur, minime ab initio blennorrhoeae verae sensu strictiori dicendae sunt. *Morgagnius*⁴⁾ duplicem causam esse leucorrhoeae arbitratur, nimirum eam uteri aut vaginae affectionem, ut eorum aut intima membrana, non secus atque illa narium in coryza, rheumate quodam afficiatur, aut ora vasculorum post emissum menstruum sanguinem se hactenus contrahant, ita ut sanguini quidem exitum, ejus autem sero non intercludant etc. *T. de Krzowitz*⁵⁾ ita: proxima leucorrhoeae causa haud alia sit oportet, quam anastomosis arteriarum in cavum uteri vel vaginae hiantium, ex earum laxitate justo majore proficiscens, ac sero plus, quam oportet, transitum praebens. *Haase*⁶⁾ leucorrhoeam, ait, iis sub conditionibus tantum oriri, quibus irritabilitatis energia toto in systemate uterino ad infimum detrudatur gradum.

Proegumenas causas invenimus praesertim in feminis libidini nimis indulgentibus et pubertate provectoribus; attamen illustris *Frid. Hoffmann*⁷⁾ memoriam cujusdam casus prodidit nobis, quo recens nata jam leucorrhoea laboraret. *Raulin*⁸⁾ quoque sororum duarum retulit exemplum, quarum una, anno vitae primo, altera secundo aetatis, fluore albo corripiebatur. *Pechlin*⁹⁾ leucorrhoeam vidit in duabus septennibus, *Morgagnius*¹⁰⁾ apud novennem puellam. Sed haec rara sunt et merito *Hippocrates*¹¹⁾ dicit: fluorem album senioribus magis, quam junioribus contingere. Rarius etiam statim post pubertatem obviam venit, nec non

¹⁾ Ueb. d. Erk. u. Cur d. Fieb. 3r Bd. §. 209. ²⁾ Handb. d. spec. Pathol. 2r Bd. §. 988. ³⁾ l. c. p. 272. ⁴⁾ De sedib. et caus. morb. Epist. 47. No. 11. ⁵⁾ l. c. p. 61. ⁶⁾ l. c. §. 92. ⁷⁾ Med. rat. syst. T. 4. C. 16. thes. patholog. §. 2. ⁸⁾ l. c. p. 29. ⁹⁾ Observ. phys. med. L. 1. Obser. 34. p. 82. ¹⁰⁾ l. c. Epist. 47. No. 15. ¹¹⁾ De morb. mulier. L. 2. §. 1.

in mulieribus post quinquagesimum annum; quamquam *El. de Siebold*¹⁾ eundem in vetulis sexaginta et septuaginta annorum observavit. Causam introitus maturioris in puellis, partim fere, ut *Raulin*²⁾ censet, in praedispositione hereditaria, quam in scrophulosis, torpidis, laxo habitu et spongioso praeditis reperimus, partim in praedispositione acquisita, quae cultura nimis sollicita atque tota educandi ratione infertur, collocare debemus. Caelibatus quoque vitae ratione abnormi, mulieribus pubertate provectoribus quandam ad leucorrhoeam opportunitatem impertire videtur; nec non monachae per vitam coenobialem eidem sunt obnoxiae. Corpus laxum, obesum, leucophlegmaticum, cachexiis diuturnis praesertim chlorosi, scrophulosi et aliis detentum, clima, mores, consuetudines, praedispositionem efficiunt. Polonorum atque Gallorum mulieres crebrius Germanis fluore albo laborant; urbanae saepius rusticis; maritae virginibus frequentius; nobiliores ac ditiores magis, quam pauperes et proletariae, denique saepius puellis adultae corripuntur.

Procatarecticae causae perquam sunt multiplices earumque indagatio magni est momenti, quum diagnosis et curatio morbi inde pendeat. Huc pertinent: frequentes graviditates ac partus, praecipue non lactentium, nimius concubitus et manustupratio, crebriores metrorrhagiae; libidinosa, deses ac relaxans vitae ratio, nimia fotuum calidiorum, insessuum, semicupiorum et balneorum universalium administratio, ollarum carbonariarum abusus. Complures porro vigiliae, animi pathemata, praesertim moeror et infortunatus amor; tenuis atque relaxans victus, abusus coffeae decocti et theae infusi, frequentes indigestiones, imprudens et crebrior purgantium et drasticorum medicaminum assumptio v. c. pilularum Rufii, extracti catholici, gutti, aloes, colocynthidum, nec non emmenagogorum et

¹⁾ Handb. z. Erk. u. Heil. d. Frauenz. Kr. 1r Bd. Frankf. a. M. 1811. §. 650. ²⁾ l. c. p. 28.

abortivorum. *Siebold*¹⁾: leucorrhoeam ranarum, limacum et piscium usu allici contendit. Terrarum etiam proprietates singularum ansam praebet: grassatur hic morbus endemicus in Batavia, Anglia, Brasilia et aliis humilioribus terris, in Anglia atque Batavia theae abusus et mulierum consuetudo, semper semperque ollis carbonariis insidendi, commune reddunt hoc malum. *Raulin*²⁾ narrat casum, à Baillou in octenni observatum puella, quae fluorem album per infectionem a magistra, quacum recubuerit in eodem lecto et cubiculo, obtinuerit. Catamenia quoque aut suppressa, aut ob aetatem proveciorem desinentia haud raro leucorrhoeam inferre, *Haase*³⁾ et *T. de Krzowitz*⁴⁾ judicant. Metastasis, nimirum sudoribus sputisque criticis atque catarrho, suppressis, hunc morbum provocatum esse, nobis persuadere studet *T. de Krzowitz*⁵⁾.

Præter dictas causas injuriæ topicae, partim mechanicae, partim dynamicae, huc referuntur, irritatio continua vaginae aut uteri, qua utique fluor albus procreatur, aliena cujusvis generis corpora, morbi vaginae uterique organici, v. c. pessaria, spongiae marinae, partium genitalium squalor, polypus, scirrhus ac uteri carcinoma.

PROGNOSIS.

Generatim leucorrhoea non periculosa, haud raro autem diuturnissima ac pertinacissima est, saepe omnia eludit remedia, medici igitur patientiam fatigat; nec minus uxori atque marito molesta est et fastidiosa. Attamen pericula, quae inducere potest, multifaria sunt et a constitutione, aetate, mora causisque efficientibus pendent. Curatio eo est difficilior, quo major ad blennorrhoeas praedispositio viget; multo majores sunt causas excitantes tollendi difficultates, quo aetate provecior aegra, quo longior est morbus et quo magis secretum ab indole muci recedit et quoque magis saniosum, ichorosum,

¹⁾ l. c. §. 651. ²⁾ l. c. p. 30. ³⁾ l. c. T. 3. p. 126.
⁴⁾ l. c. p. 47. ⁵⁾ Ibidem p. 53.

foetidum ac corrosivum apparet. *Klein*¹⁾ fluorem album chronicum, per sudores nocturnos, foetidos, largissimos, in femina obesa perfecte curatum vidit. *Heister*²⁾ eum extingui ptyalismo mercuriali expertus est. Quo magis leucorrhoea inveterascit, eo funestiores sunt sequelae debilitatis ac sensibilitatis augescentis, ut multifarii spasmi, status hystericus, metrorrhagiae, tabes, hydrops et variae cachexiae. Hujusmodi aegrae ex toto chloroticae fiunt, vel febris lenta subiguntur, quo facto, mortem portas pulsare, facile intelligitur.

Ceterum morbi uteri organici, ut exulcerationes, polypi, scirrhus, carcinoma et aliis, prognosin valde solent turbare. Denique experientia communis docet, fluorem album gravidis facillime abortiendi ansam praebere, vel mulieres eo laborantes persaepe steriles inveniri, quod etiam *Hippocrates*³⁾ contendit, ut supra annotavimus; non raro prolapsum vaginae vel uteri inducit; oculorum habetudinem aliaque encephali mala, ab uberiori leucorrhoea tribus in feminis *Riedlin*⁴⁾ observavit. Altera parte vero videmus, si, ineunte graviditate, vel pubertatis periodo, sexualis systematis vita et energia altiore obtineant gradum, leucorrhoeam sponte sua exauriri.

CURATIO.

Leucorrhoea e sanationem saepe magnis premi difficultatibus, neque raro frustra tentari, multa probant exempla; medicum tamen propositi tenacem esse, potissimum rationes morbi causales respicere oportet. Quantum causarum, tantum medendi ratio differt, quae, causis recte investigatis, facile constituitur. In universum hae medendi indicationes offeruntur:

- 1) Causae profluvium excitantes atque alentes, lollantur.

¹⁾ Interpr. clinic. tit. fluor. alb. p. 112. ²⁾ Med. chir. u anat. Wahrnehm. 2r Bd. No. 143. ³⁾ Sect. 5. Aphor. 62 Et: De iis, quae uterum non gerunt, fol. m. 675. ⁴⁾ Curar. medic. §. 57. No. 2.

2) Complicationes, quoad fieri potest, auferantur.

3) Quaecunque sequelae perniciosae cavantur, aut, si adsint, removantur.

Regimen diaeteticum, quod sine causarum respectu in quoque fluore albo est observandum, haec exigit: aegra calidiorem ac humidiorum atmosphaeram vitet, magis enim frigidulus purusque aër prod-est. Quaeque repentina temperiei vicissitudo fugienda, praecipue partes genitales nec calefiendae, nec refrigerandae sunt. Aegra caveat sibi ab intemperantia in cibo potuque, coffeae decocto modice utatur, ex toto autem abstineat usu theae atque variorum e spiritu oryzae paratorum potuum; vigente autem atonia vera, vini aliquid sibi largiatur; pro potu amaras cerevisias bene fermentatas, vel vinum cum aqua hauriat. Victus magis sit animalis, quam vegetabilis, cibi pauxillo sinapeos, zingiberis, piperis, cinnamomi condiantur, abstineatur a relaxantibus, mucilagineis ac nimis alimentis farinosis; maxime autem labefacta nutritio requirit alimenta cum aromaticis ac tonicis parata. Mulier ambulando corpus modice exerceat, saltationes fugiat, non largiori somno fruatur, raro vel nunquam Veneri indulgeat, manustuprationes exactissime vitet. Vestimenta anni tempori sint consentanea, neque calidiora nec abdomen comprimantia vel constringentia; maxime opus est partium genitalium munditie; neque minus medicus, praesertim vigente hysterismo, animi intemperiem regimine psychico auferre studeat.

Leucorrhoea si existit sola, reliquae organismi functiones non sunt turbatae et aliae desiderantur anomaliae; nisi fluoris albi indoles eadem sit, quae omnium blennorrhoearum, atoniam innuo, in qua, ad avertendos tunicarum mucosarum merbos, cardo totius curationis vertitur: medicamina atque remedia, aromatica, amara, tonica praecipue ea sunt laudanda, quae energiam organorum abdominalium erigere valent. Interno usui igitur respondent: infusum foliorum aurantii, cascarillae, calami, chinae cum spiritu sulphurico martiato, vel tinctura ferri acetici aetherea, decoctum columbo; porro extracta amara, v. g. caryophyllatae, angusturae, simarubae, trifo-

lii fibrini, quassiae praecipue chinae extractum frigide paratum et aquosum, cum variis ferri praeparatis, ut ferro oxydulato nigro, ammonio muriatico martiato, ferro carb. ext. vel tinct. ferri pomati vel cydoniati, vino martiali atque aquais martiatis naturalibus, quae chinae proxima, maxime salutifera sunt. Praeterea terra catechu, medicamina balsamica cum extractis amaris ferroque in pilulis, ut gummi kino, myrrhae, galbani, parvae aloes doses ac rhei, nec non aluminis crudi; balsamum copaivae ac peruvianum commendat *Richter*¹⁾. Si leucorrhoea statu gastrico graviore, qui non ejus est symptoma, sede materiis noxiis ventriculo inhaerentibus originem ducit, insignitur, fieri potest, ut emeticum requiratur, vel catharticum, si pituita primarum viarum exstat, quibus ammonii muriatici cum aqua aromatica aliqua usus subungi potest; systema scilicet reproductivum ad tonica quasi est praeparandum.

Quodsi tonica medicamina nimis incitabili sensilique ventriculo non sustineantur, vel cum antispasmodicis v. g. valeriana, opio, hyoscyamo et aliis, sunt conjungenda, vel cum acidis mineralibus, ut mixtura sulphurica acida Halleri, acido sulphurico diluto, cui *Richter*²⁾ oleum terebinthinae addit; aut a tinctura aromatica acida ordiendum, deinde, si incitabilitas ventriculi est cohibita, tonica in usum sunt vocanda.

Medicamenta topica roborantia, quae non raro plurimum prosunt, gradui mali adaptari debent, at tamen vitanda sunt, ubi vitia leucorrhoeam comitantur organica, ut scirrhus atque uteri carcinoma, multo magis, si haec mala, quod fere commune est, statum uteri subinflammatorium alunt. Ubi istae deficiunt complicationes ac debilitas vera tantum sustinet fluorem album, in usum vocentur injectiones e variis medicaminibus paratae; huc pertinent: aqua frigida, vinum rubrum cum aqua, decocta adstringentium amarorumque corticum v. c. quercus junioris, salicis laureae, ulmi interioris, hippocastani, ratanhae, gallarum turcicarum, chinae, infus. tor-

¹⁾ l. c. p. 281. ²⁾ l. c. p. 281.

mentillae; porro solutio boracis, aluminis crudi, myrrhae, aut tinctura myrrhae illis decoctis adjuncta; vel duce *Richter*¹⁾ plumbum aceticum, vino rubro solutum, vel solutio kali caustici cum opio. Si adaucta incitabilitas partium genitalium locum habet, injectiones ex aqua calcis, solutione plumbi acetici, vel, nonnullis ut placet, e solutione calcariae sulphurato-stibiatae cum opii aliqua tinctura; aut ex aqua calcaria spiritu cum camphorato vel lacte, quibus pro re nata tinctura opii additur. At si genitalium partium relaxatio maxima ac incitabilitas oppressa observantur, zincum sulphuricum, vel ferrum sulphuric. cuprumve sulphuric. aqua solutum injiciuntur; aqua denique phagedaenica si excretum foetidissimum cum vaginae ulceribus est complicatum.

Lotiones atque unctiones regionis hypogastricae et pubis e spirituosis, aethereo-oleosis medicaminibus praestantissimae sunt, v. g. e spiritu anisi, foeniculi, camphorato, mastiches composito, vino, mixt. oleoso-balsamica, vel oleis aethereis spiritu solutis etc. Magnam exhibent utilitatem universalia ac localia balnea roborantia, ex aqua frigida, frigidiusculave, e faecibus spiritus frumentacei, aut supra memoratis corticibus adstringentibus, calamo aromatico, speciebus aromaticis. Deinde aut balnea martialia artificialia e ferro sulphurico, globulis martiatis, aqua fabrorum ferrariorum ferraria; aut naturalia balnea martialia v. c. Pyrmontaneum, Dryburgense, Egeranum, Spaanum etc. Pertinaciori morbo, quotidie aliquoties embrochen frigidiusculam, vel conspersiones lumbaris regionis ad ministrari, convenit. Fumigationes denique genitalium partium externarum aromaticae suaveolentibus e resinis, ut mastiche, styrace calamita, tacamahaca, olibano aliisque; inspergantur haec laminae ferreae calefactae, vaporesque ad genitalia externa deducantur. Cingula etiam herbacea spirituosos et roborantibus humectata abdomini circumdare prodest.

¹⁾ l. c. p. 281.

Quodsi leucorrhoea mensium suppressione orta est, quod interdum fieri *Haase*¹⁾ et *T. de Krzowitz*²⁾ contendunt, quibus in casibus aegra spiritus angustios queritur, oculi lacrymant, facies pallida luridaque, universa corporis laxitas, profluvium lacteum ac status chloroticus offeruntur; universa affectio attente respiciatur et, prout magis minusve inflammatoria vel spastica deprehendatur, curationis consilium mali naturae adaptetur, methodo vel antiphlogistica, aut antispastica in usum vocata, ita ut catamenia mulierum nondum decrepitarum suppressa instaurentur. Si fluor albus haemorrhoidum, fonticulorum, ulcerum ac similium suppressione provocata est, therapiae leges sequi operamque dari oportet functiones vicariae redintegrentur.

Ut indicationi secundae satisfiat, i. e. complicationes leucorrhoeae auferantur, quarum plures fluorem incitant ac sustinent, malorum naturam scrutari curationemque ad hanc conformare debemus. Quodsi itaque symptomata receptivitatis nervorum adauctae apparent, si aegra admodum incitabilis et imbecillis est, si spasmi, vel hysterismus adsunt, supra laudata tonica, cum antispasmodicis sic dictis graveolentibus conjuncta, ad variam mali indolem respondentibus, ut valeriana, ipecacuanha, chamomilla, hyoscyamo, aqua lauro-cerasi, opio, asa foetida, galbano, castoreo, moscho, zinco oxydato albo, bismutho nitrico praecipitato albo, cupro sulphurico ammoniato imperentur; quibuscum infrictiones ac clysmata antispasmodica adhibeantur. Si aegra magis est torpida, temperamento phlegmatico praedita, cum tonicis memoratis medicamenta aromatica, aethereo - oleosa, incitantia jungantur, v. g. cinnamomum, zingiber, piper eorumque praeparata. Itidem balsama naturalia, ut copaivae, peruvianum, myrrha, terebinthina, gummi guajaci; senegae infusum, decoctum turionum pini, vel folior. uvae ursi; porro tartari stibiati refractae doses, tinctura cantharidum, imo sabina et rosmarinus com-

¹⁾ l. c. T. 3. p. 126. ²⁾ l. c. p. 47.

mendantur; quod tamen cum grano salis intelligendum est, quum medicamen utrumque novissime dictum, ad emmenagoga referatur effectusque potissimum in genitalia exserat. Proinde non gravidis convenire tantum videntur, quamquam exempla probant, usum eorum per menses continuatum non induxisse abortum. Quibuscum balnea roborantia, embroche, affusiones aliaque multa in usum vocentur. Quodsi nymphomania exstat, quae praecipue in gyrgathis atque orphanotropheis deprehenditur, praeter remedia psychica adhibenda sunt ea, quae supra contra erethismum laudavimus.

Nonnunquam vitia organorum abdominalium chronica occurrunt, ut physconiae, indurationes hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesaraicarum etc. cum dyspepsia, alvo irregulari aliisque malis conjuncta; quibus in casibus ammonium, gummata et extracta resolventia v. g. gummi galbani, sagapeni, asae foetidae, chelidonii extractum; calomelas, sapo et alia, rei consentanea, opem pollicentur.

Leucorrhoea cum rheumatico - catarrhali complicatione, quam nonnulli defendunt, antimoniali liquorem ammonii acetici cum infuso sambuci, e aconiti, serius ferrum; porro balnea saponata, marina, a *Wkytt*¹⁾ praecipue laudata, requirit. Haemorrhoides simul occurrentes sulphuris ac tartari depurati, hyoscyami, balneorum sulphuratorum usum repossunt, ita ut leucorrhoea ipsa et aegrae corpus respiciantur. Medorrhoea, seu leucorrhoea sic dicta maligna s. acuta, fluorem album saepissime comitans, impugnetur hydrargyro et aliis, tum benigna quoque auferatur. Arthritidi, scrophulosi, chronicis herpeticis morbis cutaneis variisque malis cum fluore consociatis albo, medicaminibus characteri eorum respondentibus medeamur et plane therapiae leges sequamur.

Quodsi fluoris suppressio, aut refrigerio, aut auxilio nimis repentino ac temerario, aut aliis causis orta est, ita ut mala atque periculosa inferantur

¹⁾ Sämmtl. z. pract. Arznk. gehör. Schrift. p. 528.

symptomata, medicus id agat necesse est, ut fluor albus quamprimum revocetur. Hic vapores calidi, cataplasmata fomentia ad genitalia externa, mites emollientesque in vaginam injectiones e. g. e seminum lini, aut herbae malvae, vel radic. althaeae decocto. Ubi spasticus subest status, injectiones ex hyoscyami aut conii maculati infuso; pediluvia, inunctiones oleosae ad abdomen, vesicatoria aut sinapismi ad internum femoris latus; pro re nata balnea tepida universalia vel semicupia aliaque sunt adhibenda, respectu habito status universalis. Leucorrhoeam denique restitutam, per aliquod tempus ali jubemus, tum sensim auferimus. Si restitui nequeat, *Richter*¹⁾ alias secretiones moveri jubet, ut diarrhoeam, sudores, quia natura ipsa interdum hanc viam commonstret.

Leucorrhoea nonnunquam cum quibusdam aliis vitiis conjuncta occurrit, quae mulierculae res magis minusve ancipites reddunt ejusque calamitates augent; quorum vitiorum infaustissima ea sunt, quae organica vocantur et in utero ipso locum tenent, ut abscessus uteri, quibus interna tonica, infusum vel chinae decoctum, myrrha cum aethere et aliis jam alibi memoratis, praeterea injectiones e myrrhae solutione, vel secundum *Hunczowsky*²⁾ sententiam ex infuso putamium nucum juglandium, vel extracto nuc. jugland. soluto, myrrhae tinctura conjuncto; aut e decocto quercus junioris, ulmi campestris, chinae; vel solutione ferri sulphurici, aut maligna exorta suppuratione, ex aqua phagedaenica conveniunt.

Funestissimas leucorrhoeae complicationes scirrhus ac uteri carcinoma exhibent, quae ubi vigent, status aegrotae miserrimus, vix tolerabilis est; dolores urgent vehementissimi in pelvi profundiori, multum foetoris dimanat, secretum est decoloratum, facies in dies pejorem prodit habitum, calamitates intenduntur, donec morte solvantur amica. Namque nullis hucusque medicis aut chirurgis, tam

¹⁾ l. c. p. 282. ²⁾ Ueber d. Nutz. d. Absud. v. grün. Wallnusschal. bei Geschwür. Abh. d. K. K. Joseph. Akad. Bd. 1. p. 273.

antiquiorum quam recentiorum temporum contigit, ut hoc malum foedissimum radicitus exstinguere possent; quamobrem cruciatus tantum aegrotae miserimae aliquantum levare molimur, ita ut dolores foetoremque mitigemus et ad usum internum belladonna, conium, hyoscyamum, aquam lauro-cerasi, opium et, ut nonnullis placet, hydrargyrum exhibeamus; prohi dolor autem nulla, ut jam dixi, id praestant, quod exspectamus. Externe adhibemus injectiones ex illis medicaminibus, aut quod *Chelius*¹⁾ suadet, hepar sulphuris, aqua rosarum solutum, cum extracti hyoscyami pauxillo, tepefactum et paniculorum ope uteri ori impositum; vel secundum recentiores applicationem aquae lauro-cerasi localem. Carbo ad foetorem exstinguendum laudatus, certe parum praestet; efficaciores sunt injectiones solutionis ferri sulphurici, phosphorici, aut carbonici, vel denique calcariae chlorinicae administratio; insessus quoque tepidi atque clysmata ex mucilaginosi, antispasmodicis medicaminibus ad dolores leniendos et munditiem servandam in usum sunt vocanda.

Tertiae indicationi satisfacimus, si damnicas leucorrhoeae auferimus sequelas; quod haud semper penes medicum est, partimque longiore breviorve temporis spatio et naturae vi medicatrice peragitur, partim imperfecte tantum, partim nunquam contingit. Huc partim universalia, partim localia mala pertinent, ut debilitas universa, sterilitas, hysteria, spasmi morbi que nervosi multifarii, exanthemata chronica, cachexiae, ut chlorosis, hydrops, tympanites, scorbutus et tabes vel febris lenta; ad vitia topica partimque organica referuntur relaxatio partium genitalium, uteri vel vaginae prolapsus, ulcerationes lateris femorum interni, labiorum, vaginae et fortasse etiam uteri. Porro polypi uteri, scirrhus ejus et carcinoma, fluori albo haud raro originem debent, acri et corrosiva secreti indole, inflammationes quoque horum vel illorum systematis sexualis organorum possunt excitari. Mor-

¹⁾ Handb. d. Chirurg. Heidelb. u. Leipz. 1829. T. 2. §. 2099.

borum secundariorum universalium curatio ex parte sub prima et secunda indicatione est descripta; qui illic nondum sunt considerati, ut sterilitas, exanthemata, cachexiae et febris lenta, circumspecte quoad indolem et characterem medico perpendantur ac secundum haec curatio instituatur. Si uberius de eorum curatione disserem, longior essem, attamen nequeo, quin subjungam, singulorum medelam ad indolem individuum esse accommodandam.

Morbi locales secundarii fluoris albi maxima ex parte supra sunt respecti, superest igitur, ut de uteri et vaginae prolapsu, uteri polypo atque partium penitalium statu inflammatorio nonnulla proferam.

Procidentia uteri reponatur digitis, os uteri amplectentibus oleoque unctis, supinata aegrotā; immittatur in vaginam spongia marina aptae magnitudinis, vel cylindrus e molli linteo linteove carpto confectus, aut coni, aut pessarii formam habens, medicaminibus adstringentibus imbutus fasciaeque ope munitus. Eadem ad curandum vaginae prolapsum peragantur. Interdum adminicula dicta neutiquam feruntur, sed corporum alienorum instar agunt ac leucorrhoeam augere possunt, praesertim iis in casibus, quibus muliebrium sensilitas acri secreto jam admodum est evecta. Quod si est, topica praemittantur, genitalium sensilitatem demulcentia, v. c. aqua lauro-cerasi, oleum vel infusum hyoscyami etc., deinde mechanicum auxilium adhibeatur.

Polypus inter leucorrhoeam exortus auxilium exigit aciurgicum, vel cultrum, ubi adigi potest, vel ligaturam, si facilius administratur.

Status inflammatorius, acri et corrosivo profluvio inductus, mites injectiones e mucilaginoso, e lini, aut hordei, aut malvae, aut althaeae decocto, cum olei hyoscyami, vel aquae lauro-cerasi etc. pauxillo, porro epithemata e solutione plumbi acetici, infuso chamomillae leniori similibusque, requirit.

V I T A

EX DECRETO GRATIOSO MEDICORUM ORDINIS ADJECTA.

CAROLUS ego EDUARDUS GUILIELMUS RUDOLPH, evangelicae confessioni addictus, natus sum Tenschelii, Silesiae pago, a Lignitia haud procul dissito, die IV Februarii A. MDCCCI, patre FRIDERICO, praedii possessore, quem praematura morte ereptum lugeo semperque lugebo, matre JOANNA, de gente ILGNER, qua dilectissima fatis superstite adhuc gaudeo.

Primis literarum elementis domi a praeceptore privato et in schola Lignitiana imbutus, in gymnasio Hirschbergensi per quadriennium ad litteras humaniores incubui. Inde, quum arti salutari operam navare constituiissem, Vratislaviam adii mense Octobri MDCCCXXV, ab Ill. WENDT accitus, t. t. rectore Magnifico, ubi per biennium trimestreque hosce viros disserrentes audi: Cel. SCHUMMEL de Physice et Chemia, Historia naturali, nec non Botanice; Cel. LICHTENSTAEDT de Pathologia generali, Materia medica et Medicina forensi atque castrensi; Ill. OTTO de Osteologia et Syndesmologia, Physiologia, Anatomia theoretica, practica et pathologica, nec non de sectione forensi et foetu; Ill. BENEDICT de Chirurgia generali et speciali, nec non Ophthalmiatrie; Ill. HANCKE de arte fascias rite applicandi, ossibus fractis et luxatis, instrumentis chirurgicis, Aciurgia, eodem duce Clinicum chirurgicum frequentavi; Ill. WENDT de Therapia speciali, morbis syphiliticis, Materia medica; ejusdem Clinicum medicum adii, Ill. ANDRÉ de arte obstetricia, tam theoretica quam practica. Praeterea repetitiones Cel. WENTZKE de Pathologia generali et speciali, Materia medica, de arte Formulas medicas concinnandi et Therapia speciali; nec non Cel. SEERIG repetitiones de Osteologia, Syndesmo-

logia, Anatomia et Physiologia, Chirurgia et Aciurgia, atque Obstetricia frequentavi.

Studiis hisce absolutis, chirurgi militaris munere in legionibus borussicis, provinciae Posnaniensis praesidium tenentibus, functus sum. Verno tempore, A. MCCCXXIX ut quadriennium absolverem, Berolinum vocatus et alumnis instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi associatus sum, ubi hasce audire mihi licuit acroases: Logicen Ill. WOLFF; Historiam naturalem et Botanicen Ill. LINK; Chemiam, Pharmaciam et Physicen Cel. TURTE; Encyclopaediam, Methodologiam, Anatomiam theoreticam, practicam, pathologicam, sensuum organorum ac Physiologiam Ill. RUDOKPHI; Pathologiam generalem et Physiologiam Ill. ECK; Pathologiam, Semioticen et Therapiam Ill. FR. HUFELAND me docuerunt. De materia medica, de fontibus medicatis ac de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo Ill. OSANN; de arte formulas medicas concinnandi, morbis infantum medicinaque forensi Cel. CASPER; de fasciis applicandis, Chirurgia generali, ossibus fractis et luxatis, Aciurgia, Obstetricia theoretica atque practica Ill. KLUGE praeceptores habui. Ophthalmologiam Ill. JUENGKEN; Pathologiam specialem, morborum mentis ac syphiliticorum curam et Medicinam bellicam Ill. HORN mihi tradiderunt.

Interfui institutionibus clinicis medicis Ill. BARTELS ac Ill. WOLFF; chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. DE GRAEFFE et Ill. RUST; syphiliticis Ill. KLUGE; ophthalmiatricis Ill. JUENGKEN.

Tentaminibus philosophico et medico, nec non examine riguroso coram Gratioso medicorum ordine feliciter exantlatis, dissertatione thesibusque publice defensis, non dubito, quin summos in utraque medicina honores rite impetraturus sim. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Crusta pleuritica sola venaesectionem repeti non jubet.

II.

Arsenicum chinae vices agere nequit.

III.

Bilis in morbo regio haud resorbetur.

IV.

Nullum certum graviditatis signum.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

ASTOR LENOX AND TILDEN FOUNDATIONS

11

11

11

11

11

11



